

SCRIPTA

Numéro Scripta : 9484

Autre(s) référence(s) : Round 857

Auteur(s) : Guillaume de Fougères [particulier]

Bénéficiaire(s) : Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1201, 27 mai

Lieu d'émission : Bennington

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume de Fougères donne à l'abbaye de Savigny une rente annuelle sur le manoir de Bennington.

Tableau de la tradition

Original

A. Paris, Arch. Nat., L 968, n° 226.

Indications

Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationary Office, 1899, n° 857, p. 307-308.

Dissertation critique

Transcription : Claude Groud-Cordray (Cartulaire de l'abbaye de Savigny ou Liber cartarum domus Savigneii, diversis episcopatus, n° LXXI)

Texte d'après A

Notum sit universis fidelibus tam futuris quam presentibus quod ego Willelmus de Filgeriis dedi pro amore Dei et salute anime mee et antecessorum meorum et amicorum meorum abbati et monachis Savigneii in puram et perpetuam elemosinam liberam penitus et quietam duas marcas argenti annui redditus in manerio meo de Benintonia ad faciendam unam pitanciam conventui de Savigneio in crastino sollennitatis Omnium Sanctorum. Sciendum autem quod illas duas marcas hoc modo eis assignavi unam videlicet marcam quam michi annuatim reddebant de quadam carrucata terre quam de me tenebant in Benintona eis quietavi, pro altera vero marca dedi eis totum tenementum quod Wallterus de Sondrebi ea die de me tenebat in Benintona ita integre quod nichil servicii michi aut heredibus meis inde retinui et tostum quod Malgerus filius Gaufridi tunc de me tenebat in eadem villa cum una bovata terre similiter integre sine aliquo retinemento. Sciendum etiam quod illam carrucata terre quam predicti monachi de me tenebant in Benintona eis excambiavi ad petitionem ipsorum in dominico meo quod appellatur haia juxta ecclesiam sancti Suithuni cum pratis congruenter assignatis et cum legitima communione pasturarum et mariscorum. Sciendum quoque quod illa carrucata terre quam ipsi monachi sicut dictum est antea tenebant michi remansit in dominico meo per predictum excambium. Quia igitur volo quod prefati monachi hanc

elemosinam meam et excambium suum bene et in pace libere et quiete in perpetuum possideant hanc meam cartam eis inde feci et eam sigilli mei munimine roboravi. Actum apud Benintona anno ab Incarnatione M^oCC^oI^o XX^oVII^o die maii. Testibus his, Herveo de Vitreio, Ranulfo de Vireio, Guihomaro Britone militibus, Jacobo monacho Savigneii, Thoma Anglico, Alano et Willelmo Guerneth conversis, Radulfo de Tuifordis tunc senescallo meo in Anglia, Willelmo de Fostona et Willelmo Bruno prepositis meis, Johanne capellano meo, Thoma de Tuifordis filio predicti senescalli, Roberto clerico filio Willelmi prepositi, Leonisio de Filgeriis filius (sic) Juhelli, Olivero Daufin, Eudone Bastardo, Willelmo Rufo, Thoma Morello et multis aliis.